

I. N. D.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE  
MUNDO

Quam,

DIVINA FAVENTE GRATIA

Cum consensu, & approbatione,  
Amplissimæ Facultatis Philosophicæ, in inelyta  
Regia Academia Aboensi

P R Æ S I D E

*Clarissimo Viro*

DANIELE ACHRELIO,  
Eloquentiæ Professore Ordinario.

*Publico examini submittit*

GUSTAVUS HERLACHI BUTHELIUS,

*In Auditorio Maximo ad 14. Decemb.*

*Anno M DCLXXXI.*

ABOÆ,

---

Excusa à JOHANNE WALLIO, A. T.

*Reverendissimo atq; Amplissimo in Christo Patri ac*  
DOMINO,

DN. M. DANIELI WALLERIO,  
Dioeceseos Gothoburgensis Episcopo vigilantissimo,  
Consistorii Præsidi gravissimo, atq; Gymnasii  
Regii ibidem Ephoro longè dignissimo, Mecœ-  
nati & Promotori certissimo, jugi oble-  
quo reverenter suspiciendo,

*Atque*

*Pl. Reverendis atq; Clarissimis Viris*

DN. HERLACHO BUTHELIO, Pastori in  
Kalfs meritissimo, Parenti ut optimo, ita cha-  
rissimo,

DN. M. CHRISTOPHORO Kalfs Præposito  
Laholmenfi & Pastori in Eldzberg Exoptatissi-  
mo, Affini & Fautori pl. honorando.

DN. OLAO WEKANDRO Pastori in Ser-  
träda fidelissimo, Affini quoque & Fautori di-  
lectissimo.

*Exercitium hocce Academicum in humilimi gra-  
tissimiq; animi pignus & officiosiss. affectus πικρή-  
των submisit & perofficiose consecrat & offert*

GUSTAVUS BUTHELIUS

AUTH. & RESP.



PRÆFATIO;

**I**psè Mundus rerum omnium sublimissimarum ingens Palatium, cum ea exhibeat meditando argumenta, quæ nunquam disertorum calami, & singulorum ora potuerunt exhaurire: Veri mihi non debet vitio, si de ornatissima hac machina quadam incipiam enarrare; Nam hujus contemplatio, partim ad rectam vitæ institutionem pertinet; partim ad salutarem cognitionem supremi Numinis, conducit; deniq; nihil oportunius ad docendum atq; discendum vel suavius ipso occurrit MUNDO, siue industriam opificis, aut partium consensum, aut harmoniæ spectes inenarrabilem gratiam. Accedit quod natura rerum inter maxima operum suorum, non possit ostentare alium, de quo magis gloriatur, quam hominem, quem Deus induxit in mundum futurum, & sui, & suorum operum arbitrum, inspectorem, enarratorem. Videtur quidem hoc scrutinium humana menti obicere ingentem cogitationum abyssum, cujus fundum soli sapientes penetrare possunt: Ipse Aristoteles, ut ceteros taceam, summa industria per multos Annos in ventilando hoc argumen-

in fuit occupatus, omnesq; rationis nervos, ut veritatem indagaret, extendebat, cujus tamen sacra non potuit adsequi. Hinc et dicitur fortassis mirum, ausum fuisse me, tam amplam materiam, & viribus humanis longe majorem, parvis instructum viribus, invadere, & aggredi. Interim tamen cum ardua quaeq; sint etiam pulcherrima, sciendum me, non alio fine hoc adortum opus, quam ut levi hoc Exercitio ingenium meum ad majora prepararem. Sunt quidem nonnulli, nescio quibus ineptijs turgidi, qui talia juventutis collectanea, maligna dente rodunt, dum partim rerum contextus reprehendunt, partim styli genium accusant. De quibus cum nihil magnifici sentiamus, ad institutum nostrum, manum ducente Deo, sine ulteriori apparatu, placet accedere.

## THES. I.

**I**gitur mundus, qui & complexum, & contractum maximum, & Universitas, etiam civitas, & templum consecravit appellari, sumpto vocabulo ad hanc rem proprie & accuratè, sine mixtura popularium locutionum, nihil aliud nobis denotat, quam *Celi, & Terrae, cum earum rerum quae utroque continentur admiranda structura, in Dei gloriam, & creaturarum utilitatem ex nihilo in initijs condita.* Persuadebat sibi nimis simpliciter gentilium superstitio, mundum hunc, nec primordia habuisse uquam, nec interiturum olim, verum machinam fore infinitam, immensam, aeternam, ut Plinij. verba sonant, sententiae naturalis lib. Secundi, capite primo. Nos vero à Mose aliter edocti, Universitatem hanc aliquando cepisse novimus.

licet sacra Trinitas, cum appropinquasset illud momentum, quo ipsi placuit hoc opus fabricare, descripta intercapedine, quæ singulos globos eorumque motuum vias exactè caperet, mox non de sua substantia, nec alia sibi cœterna, sed de nihilo massam chaoticam creavit. In qua velut naturæ immenso seminario dotes singulorum corporum continebantur. Hanc vero indigestam molem sex diebus deinde in illam pulchritudinem diduxit, elaboravitque, sub qua hæcenus comparuit. Luce disperdit tenebras, positoque firmamento in medio aquarum superiores rejecit supra omnes cœlos; Ipsam æthera stellis undiquaque exornavit, Aeris subtilem vaporem in omnes recessus expandit, relegatoque ad infinitum locum Terraqueo globo, ejus interiora gemmis, metallis, succis varijs; Exteriora vero inenarrabili plantarum, animalium, piscium atq; avium copia replevit. Ea intentione ut & suam ipse ostentaret omnipotentis Majestatem, & homo amaret, agnosceretque Creatorem, & tota natura ad peragenda sua munia laudesque tantarum rerum Architecto dicendas alacriter insurgeret.

## THESIS, II.

Cœterum corpora ista quæ ad integritatem mundi faciunt, prout sub sensuum cadunt judicia, vel lucida sunt, circa se fulgorem evibrantia, qualia Sol & Stellæ proprio lumine fulgidæ. Vel Diaphana, qualia Æther, Aer, Aqua, quæ ex limpida claritate constant; vel opaca, qualia Terra, Luna, Planetæ reliqui excepto Sole omnium umbrarum Parentes. Vel demum colorata, ex salium sulphurisque mixtura in omnibus rebus triplici naturæ circulo contentis. Lucida nullis tenebrarum sordibus infestantur. Diaphana, neq; lucem habent neq; opacitatem, utramque tamen in se recipiunt, etsi neutram retineant. Lucida, & opaca contraria sunt, Diaphana inter utraque media; illa uti lucem innatam, ita hæc tenebras adnatas habent. Prudens sane dispositio, qua ex isto lucium & umbrarum conjugio, totius mundi ornamentorum gratia constituitur, quæ ambæ si ab invicem segregantur, nec Mundus

κῶσμος dici, nec admiranda illa naturæ pulchritudo, sub visum cadere potest. Quicquid enim contemplabile est in tota hac Machina, id per lucem umbrosam, & umbram lucidam spectabile est, quippe ut sine luce ipsa natura confusa, indistincta, incognita maneret, ita sine U Μ Β Χ Α omnis rerum gratia, ac delectatio penitus periret. Sulphuris vero saliumque temperaturis, in hac umbrarum & lucium conflictu, gloriam & gratiam debet amœna facies terrarum, metallorum diversitas, discrepantia gemmarum, honor arborum, conformatio animalium, & ipsorum hominum nunquam satis deprædicanda pulchritudo.

### T M E S - III.

**I**Am vero de situ, & ordine magnorum mundi corporum non una fuit, aut est doctorum opinio, Prisci quidem illi Græcorum, Chaldeorum, Egyptiorumque sapientes, terram in medio mundi immotam posuerunt, circa quam proximè collocavit lunam, de loco vero cæterorum planetarum non omnes conveniunt, placuit his Mercurium, ac Venerem infra Solem, illis rursus supra solem rotare. Sed Copernicus doctus Mathematicus invertit hanc globorum seriem, facilioris calculi causa. Sol quippe ex mente illius centri locum tenet, circa eum proximè Mercurium collocat, deinde venerem: Terram vero cum universa elementari sphaera, gyrat circa Solem, fixarum autem indicem immobilem statuit. Nos vero sequuti vestigia Thyconis Brahes, additis observationibus recentiorum Mathematicorum, tellurem ut stabilem basin immotam in medio universi constituimus. Circa hanc expandi Aerem in tres distinctum regiones, supremam, infimam, & mediam putamus, ubi volumina meteororum collecta ambulant. Aerem circumdat cœlum sydereum, iterum in duas regiones divisum, in inferiori planetarum corpora cursus suos varijs motibus peragunt, in superiori innumerabilis fixarum multitudo sub inæquali à Terra distantia itinera sua juxta immutabilia decreta continuant. Istum stellarum orbem claudunt aquæ supracælestes, quæ fortasse constituunt vastam aquarum

tum sphaeram. Etiam solet accuratus Mathematicorum senatus in Systemate mundi tradendo, propter meliorem intellectus perceptionem observare, quo pacto centrum Mundi ita sit in ejus medio concipiendum, ut ab eo omnes lineæ, ad ultimam cœli syderei superficiem ductæ, sunt inter se æquales. Et illud centrum Physice loquendo idem esse cum Terraqueo, censeari potest, propter exiguam unius ab altero, in tanta mole distantiam. Deinde inter duos polos arcticum & antarcticum quos Axis mundi tranat, totam Machinam cœli rotant. Diametros vero appellant lineas illas rectas imaginarias, quæ transeunt per centrum mundi, & utrinque ad ultimam cœli syderei superficiem tendunt.

#### THES. IV.

Porro licet hujus mundi globi multis in modis respectu loci, magnitudinis, coloris, virtutumque specificarum dotes differant, nihilo tamen fecius ineffabili ratione quam postulat rerum concatenatio, ad invicem eo nexu, ea proportione cum reciproca actione influxuum dispositi sunt, ut TERRENI Mundi œconomiam commodissime administrēt, perennes motus continent, nec à præscripto tramite unquam divagentur. Scilicet ut Sol ad terram harmonice prorsus est constitutus, sic & luna, Venus, Mercurius &c. tum ad invicem, tum ad Tellurem, Solemque; suas à natura habent definitas intervallorum, & magnitudinum rationes harmonicas. Unde patet Supremum illum Harmostam, omnia Mundi corpora, tum inter se, tum ad terram disposuisse in numero, pondere, & mensura; certe uti mundum in admiranda Symmetria, & proportionatissima unius corporis mundani, ad aliud intercapedine, tum in quantitatis sive magnitudinis unicuique ad finem suum consequendum appropriatæ mensura exactissima arbitròr constituuisse; ita ineffabilem divinæ potentie sapientiam, omnia ad æternæ legis amissim disposuisse, mihi in totum persvado.

THES

## THESES. V.

**A**T vero quo pacto globi hi communicant sibi invicem suas virtutes, sicque harmonicam actionum intentionem, conjugiaque naturarum peragant, etiam notabilis est quaestio. Quidam intentionales illos defendunt contactus & virtuales, egregia sua sequuti principia; alii commixtionem virium superiorum, cum inferioribus per unionem atmosphaerarum fieri posse putant, quibus ipsa atmosphaera nihil aliud est, quam *vapidum cujusve globi effluvium, ad justam activitatis Sphaeram extensum*. Hinc inferunt atmosphaeram globi Terraquei, tangere atmosphaeram lunæ, hujus effluvia pyrosphaeram solis, & sic deinceps fit copulatio globorum ceterorum ad confinia usque aquarum supracœlestium, virtutesq; Æthereorum corporum, per hanc scalam descendunt in hæc inferiora, adfertiuntque juxta continuas pericycloseos leges. Accedit partim ventorum & Oceani motus, cœleste semen temperans, diffundens, circumvehens; partim geocosmi appetitus magneticus, nectar illud salutare, attrahens, rapiens devorans.

## THESES. VI.

**A**Mbigunt multi iique Egregij Philos. an Ætheris corporumque cœlestium principia sint diversa ab hisce sublunariis, an vero unius ejusdemque indolis? Multi ab omnibus elementis distinctam defendunt materiam, qua cœlestia componi autumant & hanc simplicem atque depurgatam ab omni quisquiliarum sorditate fore contendunt: probant id ab incorruptibilitate corporum cœlestium, tum durabilitate eorundem, vel quæ alia in patrocinium suæ sententiæ copiosè adducunt. Alij aliam arripiunt opinionem, illamque amplectuntur quæ quicquid Mundi creati Circulo concluditur, ex Elementis materialibus uniformibus, ejusdemque substantiæ dicunt conflare. Primo Patrum, & magnorum virorum præclara repetunt dogmata conspiciantia in hoc, *Deum ex uno chao non duplici non Triplici potam machinam, ejusque membra produxisse*, deinde Excell. Mathe-



Mathematicorum accuratissimas observationes, quarum beneficio, in altis illis cœlorum corporibus ibi flammæ existantias, heic liquidioris substantiæ fluores, alibi facularum, macularumque fumos instrumentis suis adnotarunt. Adde quod humanum iudicium, potissimum ab opinionibus liberatum, nunquam potest percipere, qua ratione cœlestia corpora agerent in hæc inferiora, si ab illis discrepant; impossibile enim esse videtur ut influxuum affectus, sympathiæ & antipathiæ leges, copulæ superiorum cum inferioribus fierent, si non unum alterum foveret, protegeret, conservaret. Denique in superiori expanso alterationes genesesque novarum rerum sæpe contingunt, quod ex stellarum novarum, & cometarum genesi apparet, quæ rerum schemata simplicitatem omnem turbant è cœlo.

### THES. VII.

**S**ed orbis terrarum, quem infimum in mundo locum obtinere superius diximus, non tantum super suum centrum in puro Aere pendet immotus, verum etiam polos suos cœlestibus polis obvertit; materias liquidas, & alias volubiles, catenis montium stringit, interiora variis meatibus habet excavata, in quibus naturæ semen coquitur, in mineralium tot sœboles, exteriora vero suas habet voragines, eminentias rigentes gelu, & plana camporum, ornata plantis & animalibus. Oceanum vero qui aridam circumdat, vel freta adnectunt maribus, vel paludibus jungunt subterranei canales, ille per motus perpetuos, annuos, menstruos, diurnos, atque horarios, aquas agit à cardine, ad cardines, eamque per hydrophylatia in montium cacumina sublatam, in fontes fluminaque protrudit. Inter undas vero aquarum, non tam concharum gaza, quam prodigiosa maris monstra, & tot piscium ludunt examina.

### THES. VIII.

**U**lterius quemadmodum certum est, ex globo Terraqueo continuo surgere in altum exhalationem, & vaporum subtilis fumos, qui pro ratione missionis, & copia sulphuris, ali-

bi ignes fatuos, vel flammarum turres, aut capras, trabes,  
 dracones, Tum stellarum discurrentium phases ostendunt.  
 Alibi inter collecta aqueo-terrea volumina, densas nubes  
 resolvunt in grandines, nives, pluvias, & imbres. Vel si  
 inter accensas sulphureo nitrosas particulas, pugna oboritur,  
 fulmina, fulgura, immensosque excitant boatus. Vel co-  
 acta in ipsa massa nubium, pingunt, aut horrida prodigiorum  
 monstra, aut iridium arcus, aut halonum & pareliorum cir-  
 culos. Denique in spirituosos quosdam flatus dissipati, venti-  
 lant concitantque aerem, nunc ab omnibus cardinibus mundi,  
 nunc in eodem motu, mox violentiori raptu, iterum concitatis-  
 simo furore. Venti quippe varijs motibus varijsque qualitatibus  
 beant inferiorem mundum, refrigerant aerem, exagitant maria,  
 temperant terreni mundi semina.

### THES. IX.

**A**T extra ipsas Aeris semitas occurrit admirabilium globo-  
 rum, lucidorum, opacorum, Errantium, fixarum, etiam  
 interdum extraordinariarum palatium, in cujus immensitate,  
 non solida ut credidit vetustas, sed liquida & permeabili, motu  
 velocissimo discurrunt pulcherrima syderum corpora. Hic lu-  
 na noctis Domina, Sol dierum illustrator, Venus gratiarum  
 lampada, Mercurius Amœnitatis fons, Mars minarum plenus,  
 Iupiter insigni Majestate splendens, denique Saturnus ejusve  
 comites, pulchro amictu rutili, constanter omnes in suis am-  
 bulant sphaeris. Quos excipiunt firmamenti incolæ numero  
 millæ, & viginti duo, juxta calculationem recentioris ævi, quos  
 & in varios formarum apparatus digessit sapientia. Polum  
 circû ambulant ambæ ursæ eorumque custos vigilantissimus Boo-  
 tes, volat alibi Cygnus, alibi Draco corporis sui gyros tot stel-  
 lis distinctos ornat. Hunc excipiunt Cepheus cum Cassiopæa,  
 Pegasus cum Andromeda, Perseus cum Medusæ capite, Cetus cum  
 Eridano, cum Orionæ argo navis, ceterique ordine Asterismi,  
 usque ad vertices ultimos poli Antartici. Illum circulum in  
 celo

cœlo maximum perambulant, Aries, Taurus, gemini, Cancer, Leo, Virgo, libra, Scorpio, Arcitenens, Caper, Amphora, & pisces. Alia quando in eadem astrorum domo, huc illucq; vagantur, stellæ novæ, horridique Cometarum ignes, in profundo vero ætheris abyſſo, plures stellas degere, rationi videtur consentaneum, circumcingit tamen totum cœli megaron, vœstra aquarum rota, perpetua cooperatione beans mundum, velocique cursu laudans nomen Domini.

### THESES. X.

**D**elirant multi, complures dari mundos, nos ex fide novimus, unum tantum esse hoc complexum, idq; ad mentem Archetypi perfectissimum. Tantaq; capacitatis, ut immania illa intra circulum suum conclusa corpora complectatur. non tamen propterea infinitum, licet humano ingenio indemonstrabilis sit ipsa vastitas. Formam etiam mundi, rotundam esse, consensus vulgi orbem appellantium, approbatio Doctorum, tum argumenta rerum docent. Apparet enim serenis noctibus, ipsisq; diebus semper concameratum. Syderum quoque motus abortu in occasum, circulares vias conficit. Nobilissimo deniq; corpori, ea debetur figura, quæ sola alias omnes amplectitur, quæq; nihil potest habere asperitatis, nihil offensionis, nihil incisum angulis, nihil anfractibus eminens, nihil lacunosum, cujus partes omnes inter se simillimæ, & cujus extrema tantum distant à medio, quantum idem à summo, quo nihil apertius. Hanc igitur aptissimam imaginem suscipit & habet, quicquid ad summam perfectionem inter corporeas creaturas adspirat. Ad ipsam durationem pertinet, ut mundus sit temporalis, quod enim principium habuit, finem aliquando habebit, cujus interitus horam nemo mortalium definire audet, certum tamen est ad futurum aliquando fatalem diem, quo cœli Regia, quo vaporum volumina, quo terrarum oceaniq; argumenta, in antiquum chaos dilapsa, vehementia ignium conflagrabit,

THESES.

**U**ltimo, & id observationem meretur, quo pacto per litem  
 & concordiam omnium rerum naturalium actiones peragantur. Coelorum corpora Magnetica hac catena conservantur; In aeris spatio vapores, & exhalationes, post horridos conflictus, pacis foedera pangunt: In terreno globo postquam calida Elementorum cum frigidis, humida cum siccis, immani lucta concertarunt, in aeternam veluti amicitiam coit, diversarum naturarum fervor. In oeconomia tum lapidum, tum plantarum, tum animalium, idem cernitur consensus & dissensus, è quibus omnibus oritur tandem totius mundi Magnes, concordia, & perfectio. In curioso tamen scrutinio harum rerum diligenter consideranda veniunt. Primo, qualitatum primarum, & secundarum indoles. Secundo, Insensibilem vaporum è corporibus egressorum vires. Tertio, Naturarum similitudo, & dissimilitudo. Quarto, Plagarum, & Climates mundi diversa constitutio. Quinto, Pororum constitutio, in ipsis corporibus. Sexto, Imaginationis vehementia. Septimo, Ingenium vacui. Octavo, Dispositio Efficientis, & materialis causæ. Nono Tum operatio Syderum in inferiorem mundum. Quippe ut ardor Solis omnia copulat, liquor lunæ humida sustentat, cæterorum planetarum influentiæ in res sibi amicas exonerantur, ita, inter se invicem collidunt elementa omnia in hoc naturæ paladio, ut ignis veluti Sponsus, aqua instar Sponsæ, per Paranympchos terram, & aërem combinati, coagulatione, fixatione, amabili discordia universam absolvant mixtorum generum.

**SOLI DEO GLORIA.**

*Ad Pereximium Dn. Respondentem*  
**GUSTAVUM BUTHELIUM,**  
*de Mundo solertèr disputantem.*

**P**lanè mira sunt omnia opera Domini; nullus quamvis ingeniosissimus dignè enanciaverit magnalia altissimi. Inspiciamus mundū, quam optimè cuncta in eo a Deo ordinata sunt, præcipuè artificiosam structuram in homine composuit, quâ hanc fabricam repræsentat; donavitque ei hoc privilegium, ut cum hæc orbis terrarum machina interitura sit, in nova cœlestia habitacula transportantur boni. Incumbit itaque homini (cum omnia creata ipsi in bonum inserviant) cum laude altissimi hæc contemplari quæ tu *pereximie Respondens* benè perpendisti, ideoque Mundi subtilitates voluisti inquirere atque rimari, hacque præclara Materia ingenii tui dotes ostendere. Laudo industriam tuam, simulque opto; ut studia tua cedant in Dei gloriam, patriæ emolumentum, parentū solatia, ac ut indè digna præmia reportes.

*Hæc gratulabundus in favorem Dn. Respond.*

*scripsit*

**CLAUDIUS Sparre.**

---

*Ad Ornatissimum*

**DN. GUSTAVUM BUTHELIUM, W-Goth.**  
Respondentem: Amicum ac commilitonem dilectum.

*Δίσχον*

**N**ascimur in vasto, quid sit, BUTHELIUS ipse  
Mundo nunc Mundus, disputat ecce probe!

*L. Mq;*

**ENEVALD. SVEN. Q. G. A.**

*S. S. Theol. Doct. & Prof.*

DN. GUSTAVO BUTHELIO, W-Gotho, de Mundi Mi-  
 rabilibus disceptatione eruditâ publicè differenti:

**N**on omnibus periculum  
 Succedit usq; mentis.

In arduis olympi  
 Concentricis rotundis,  
 Eccentricisq; circulis,  
 Numero scientioribus  
 Tornatoris orbis,  
 Aut aptiore summâ  
 Peritioris artus,  
 Decenter explicandis,  
 Signatius loquendis.

Paucis videbis æquum  
 Adstare fortè numeris,  
 Rimantibus recessum  
 Rerum latentiorum,  
 Scrutantibusq; formas  
 Animantium ferarum,  
 Legentibusq; planta  
 Cujusq; certiores  
 Virtutis indolemq;  
 Vimq; indicem medelæ,  
 Folijq; fructibusq;  
 Ramisq; floribusq;.

Paucissimis licebit  
 Rationis implicatas,  
 Acuminis vigore,  
 Penetrare sic latebras,

Ut cogitationum  
 Subtiliora captas,  
 Ut appetitionum  
 Desiderata vota,  
 Attentius requirant,  
 Peritius per acta  
 Notentq; conferantq;  
 Equentq; judicentq;  
 Sciantq; pensitentq;.

GUSTAVE sed BUTHELI,  
 Mirabiles recursus,  
 Omnes per orbis axes,  
 Quibuslibetq; contris,  
 Mutationibusq;  
 Mundi patentioris,  
 Sic gnarus annotaras,  
 Sic sedulus recensens;  
 Argutias strophasq;  
 Sic strenuus refellis;  
 Ut cuilibet fatendum.  
 Tibiq; gratulandum,  
 Restet, quod abditarum  
 Vicissitudinumq;  
 Terra quædam intimatorum  
 Prorsus meatuumq;  
 Miraculosa noscens.

Scripsit L. Mq;

PETRUS LAURBECCHIUS.

**O** Mne tulit punctum, qui miscuit utile dulci:  
 Est dulcis requies, utilis ipse labor.  
 Utilis est requies, dulcis labor omnia vincit:  
 Iusto Conformes tempore Cuncta probant.  
 Sicut Constringit nimius labor Intima Mentis,  
 Solvit sic vires immoderata quies.  
**GUSTAVUS** latus scit commendare Camenas,  
 Eusebia segetem spargere qui didicit.  
 Jamq; etiam multam superat labor ipse quietem  
 Noctis, Constanti hoc tramite progreditur.  
 Praesens nam Specimen, scrutans penetratis Mundi,  
 Monstrat, praevalidum, dulce laboris opus.  
 Gratulor infractos, **BUTHELI**, pectoris Ausus,  
 Auracis studium est sic cecidisse jugis.  
 Ito bonis Avibus, Nympharum inferte Cohorti!  
 Pigris Meta pudor, Lausq; laboris, erit.  
 Maeste labore tuo, quem digna Brabea sequuntur  
 Tranquillam Requie, Pieridumq; decus!  
 Usui sis Patria; dulcis Genitoribus; Amplis  
 Dulcis Praesulibus; Portio grata Deo!

Τάτω ἡ δέκατῳ, πολλοῖς ἐμπεποδισμένους,  
 ἡ ἡς γλυκύτητι σπασθῆ, πὶ καὶ σπασ-  
 θῆς γλυκύτητι, κυρίως Βασιλείς, ὁμοχωρίως  
 καὶ φίλως εἰδικρανεσθῆ, συγκαίρειν  
 ἔθελον

**ANDREAS** Hasselqvist/  
 Calmariensis.

Sacrum

**S**acrum illum esse laborem, qui naturæ speculatorem fatigaret, & cumque à maximo Deo honore mactari, qui physicam discere fatigaret, haud abs re sapientiæ consulti jugiter existimaverant. Tibi, mi suavissime BUTHELI, hic animus est, qui non ludicris operam navando, nec fastuosas peregrini moris ceremonias incendio, sed totius universi pulcherrimam harmoniam contemplando, Te Deo patriæq; sacraſti. Nec hoc uno simplice muneretua industriâ functus es; habet enim hoc tuum exercitium sacramenti quandam vim, quod non solum Dei gratiam, patriæ favorem, patriſque amorem conciliet, sed illorum quemq; pulcherrimo honore excipiat, lepidâ veneratione proſequatur. tot n. maximo Deo grata offeruntur libamina, quot de naturâ & huius receptaculo, mundo, ſani moventur discursus. Talia dum moliris, non largiſſimum Deum effuſæ in te beneficentiæ, nec chariſſimam patriam ſubminiſtrati alimenti, nedum Venerandum patrem facti ſumtus unquam poenitebit; verum te ſors, cui ipſe inhias, certo manebit. Hunc dextrum tuum genium, quo tam ſacrum ſuſtinuiſti laborem, quin tibi gratuler, natalis ſoli communio, & hinc ſuperaddita foedera, non patiuntur. Perge igitur, quo cœpiſti pede, & dona elementer in te transfuſa, uſui Reipublicæ, & propriæ tuæ ſaluti, probè ac ſreuvé excole! Vale!

ELIAS J. BASCH.  
Goth. W. Goth.



R. M. 6154